



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**EXIMI-//VM PLANEQVE DIVI-//NVM OPVS  
INCOMPARABILIS// Theologi Dionysij, professione  
Car//thusiani, in quo opere contine[n]tur// quinque  
humanae uitae specu//la**

**Dionysius <der Kartäuser>**

**Coloniae, 1540**

Prooemium Avthoris Incipit Prologvs Libri Seqventis, qui dicitur speculum  
sacerdotum.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55481](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55481)

PROOEMIUM AVTHORIS  
INCIPIT PROLO-  
GVS LIBRI SEQVEN-  
tis, qui dicitur Speculum sacer-  
dotum.

Augustinus.

**Q**VIA, ut ait flos doctorum Augustinus: Ne-  
mo in ecclesia amplius nocet, quam si per-  
uerse agens ac male uiuens, nomen uel ordinem sacer-  
dotis habet, uerificaturque nimis praesenti in tempo-  
re illud dictum Ambrosij in quodam sermone: Ex in-  
ordinata, inquit, & indisciplinata multitudine sacer-  
dotum hodie contemptui datur nostrae redemptionis  
uenerabile sacramentum. Nam qui dabuerant esse ui-  
uarij Apostolorum & filij Petri, facti sunt socij Iude &  
praebuli Antichristi. Quem secutus Chrysostomus  
super Matthaeum sic dicit: Multi sacerdotes & pauci  
sacerdotes, multi in nomine & pauci in opere. Legem  
dei nec sciunt nec discunt, uacantes ocio comessatio-  
nibus & ebrietatibus student, terrenis inhiant, terre-  
na sapiunt, assidui in plateis, in ecclesia rari, tardi ad  
inuestigandum culpam peccatoris, parati ad quaerenda  
uestigia leporis, uelociores ad congregandos canes,  
quam ad uocandum pauperes, libentius porrigunt panem  
cani quam pauperi. Hi sunt quorum thalamus  
ornatior ecclesia sua, mensa paratior altari, cibus cali-  
ce preciosior, equus carior missali, camisia pulchrior  
& delicatior alba. Non est iam dicere ut populus sic  
sacerdos, quia nec sic populus ut sacerdos. Hodie quod  
& fens dico euenit, quod Osee propheta conquerens  
do deplorat & dicit: Multiplicauit populus altaria ad  
peccata

Homil. 24.

peccandum, factæ sunt eis aræ in delictum. Verbum  
 quippe Greg. est: Qui Christi corpus indigne conficit  
 Christum tradit, ut Christus dum traditur dicat: Ecce  
 manus tradentis me mecū est in mensa. Idcirco pauca  
 ex diuersis conscripsi in præsentī speculo, quod spe-  
 cialiter sacerdotes ædificet ad salutem & inflāmet ad  
 emendationem. Rogo autem in uisceribus Christi  
 unūquēq; huius speculi lectore, ut oret pro lectore, ut  
 utatur salubriter quæsitis cum labore alieno, & gau-  
 deat de inuentis suis labore proprio: Profiteor namq;  
 quod omnia quæ in præsentī quinquipartito speculo  
 uel forte alibi ante unq̄ conscripsi, non ex agro pro-  
 prio. i. ex copia ingenij proprii: sed exēplo Ruth, quæ  
 agrum intrauit alienum, ut spicas colligeret post ter-  
 gametentium: ego pauperculus diuersas sanctorū au-  
 thoritates, tanq̄ spicas de diuersis libris nō sine labore  
 collegi, & quæ ex diuersis sectionibus, congeffi in  
 diuersos tractatulos singularibus titulis adnotatos  
 distinxī et ordinauī, melius enim distincta seruantur.  
 Per has autem modicas spicas agrum fertilem origi-  
 naliū librorum non despicias lector opti-  
 me. Improuidus enim est, qui negle-  
 cto igne per scintillas se niti-  
 tur calefacere: & qui  
 contempto  
 fonte, per roris guttas  
 sitim conatur  
 extinguere.